



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 154. Porussi ad Poloniæ Regem deficientes

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

bantur, sustulerunt, verum etiam cum Sæcul. XV. A.C. 1454.
 Austriæ Ducum insignia pavonis caudam referant, nullam ejusmodi volucrem in tota eorum regione tolerant, eumque, qui forte illius pennas in pileo gestat, mox indicta caussa jugulant. Hæc erant illa futuræ adversus Turcas expeditionis obstacula, quæ Æneas commemoravit, atque ex totius Europæ Principum statu, qui tunc temporis erat, hausit.

§. CLIV.

Porussi ad Regem Poloniæ deficientes.

Porussi jam aliquot annis querebantur Æn. Sylv. de jugo haud tolerando, quo ab E. Europ. c. 29. Krantz. 12.
 de jugo haud tolerando, quo ab E- quitibus Teutonicis premebantur sub Ludovico Herlihusio, qui jamjam ab anno quadringentesimo quinquagesimo supra millesimum supremo Magistratu potiebatur; Hoc autem anno Porussi adversus eos insurgent, atque sese Regis Poloniæ imperio subicere moliebantur. Nicolaus Pontifex seditionem hanc per Legatum suum edoctus, Porussos sub anathematis comminatione ad officium reducere studuit; sed ii Papæ mandata flocci habebant. Imperator quoque Equitum causam susceperat, ac Porussos imposita sex millium florenorum multa ad obsequium Teutonicorum Equitum redire jussit, qui eam Provinciam, ut inquiet-

Secul. XV. inquebat ille, e manibus Infidelium tum
A.C. 1454. proprio sanguine tum & dato pretio re-
 demissent. Hac Imperatoris sententia
 Poruffis nuntiata, ita eorum furor exar-
 sit, ut armis arreptis, plures ex equitibus
 trucidarent, eorum castella everterent,
 & quinquaginta quinque oppida in pote-
 statem suam redigerent. Sed cum vires
 suas sine exterorum ope Equitum poten-
 tiæ impares probe agnoscerent, anno hoc
 labente Casimirum Poloniae Regem in
 auxilium vocarunt, seque, ac omnem Po-
 ruffiam, Pomeraniam, Culmam, cuncta-
 que ab Equitibus possessa ei cesserunt.
 Suspendebant primo Proceres Poloniae
 suam hac super re sententiam, quinimo
 judicabat Sbigneus Cardinalis, Craco-
 viensis Episcopus, deditonem hanc omni-
 no respuendam.

Poruffi comperta Polonorum cuncta-
 tione palam professi sunt, se aliunde o-
 pem rogaturos; ac a Ladislao Hungariae,
 & Bohemiae Rege ipsis omne auxilii ge-
 nus sperandum, lætoque animo se esse re-
 cipiendos. Itaque Poloni his minis ter-
 riti, ne tam opportunam ditiones suas
 amplificandi occasionem e manibus di-
 mitterent, cessionem sibi oblatam acce-
 ptarunt, tametsi præviderent bellorum
 motus, qui inde Poloniam atque Germa-
 niam collisuri essent. Rex Casimirus
 Poruffiam ingressus, Sacramentum fideli-
 tatis,

tatis, atque obsequii accepit, & pleraque vectigalia, atque tributa, quibus se nimium gravari conquerebantur Porussi, remisit; Equitibus vero necessaria ad bellum suppeditavit, eoquod Teutonicorum, & Poloniæ jam communis esset causa, atque utilitatis ratio.

ſæcul. XV.
A.C. 1454.

§. CLV.

Nuptiæ Regis Poloniæ cum Ladislai Junioris Sorore.

Cum Casimirus mense Februario præsentis anni Elisabetham sororem Ladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis, ducere vellet, orta est controversia inter Archiepiscopum Gnesnensem, & Sbigneum Cardinalem de nuptiarum Benedictione, quam jure sibi deberi Gnesnensis contendebat, eoquod Primas Poloniæ esset. Huic & alter jus suum opponebat, quo tanquam Cardinalis, ejusdemque loci Episcopus gauderet. Joannes Capistranus, qui jam anno superiore Cracoviam venerat, litis arbiter rogatus est, atque nuptialis hujus solemnitatis honorem Cardinali, Archiepiscopo vero novam Reginam inungendi, ac diadema eidem imponendi prærogativam detulit.

§. CLVI.